

quinque adeo magnae positis incudibus urbes  
 tela novant, Atina potens Tiburque superbum, 630  
 Ardea Crustumérique et turrigeræ Antemnae.  
 tegmina tuta cavant capitum flectuntque salignas  
 umbonum cratis; alii thoracas aënos  
 aut levis ocreas lento ducunt argento;  
 vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri 635  
 cœssit amor; recoquont patrios fornacibus enses.  
 classica iamque sonant; it bello tessera signum.  
 hic galeam tectis trepidus rapit, ille trementis  
 ad iuga cogit equos clipeumque auroque trilicem  
 lorica induitur fidoque accingitur ense. 640

Pandite nunc Heliconæ, deæ cantusque movete,  
 qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ,  
 complerint campos acies, quibus Itala iam tum  
 floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.  
 et meministis enim, divæ, et memorare potestis: 645  
 ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris  
 contemptor divom Mezzentius agminaque armat.  
 filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter  
 non fuit excepto Laurentis corpore Turni, 650  
 Lausus, equom domitor debellatorque ferarum,  
 ducit Agyllina nequiquam ex urbe secutos  
 mille viros, dignus, patriis qui laetior esset  
 imperiis et cui pater haud Mezzentius esset.

Post hos insignem palma per gramina currum 655  
 victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro  
 pulcher Aventinus, clipeoque insigne paternum  
 cœntum angues cinctamque gerit serpentibus hydram;  
 collis Aventini silva quem Rhea sacerdos  
 furtivom partu sub luminis edidit oras, 660  
 mixta deo mulier, postquam Laurentia victor  
 Geryone extincto Tirynthius attigit arva  
 Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.  
 pila manu saevosque gerunt in bella dolones  
 et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. 665